

etiam si opera nostra fiat publice facta, non hac intentione fiant, ut videantur. Ipsam tamen operum manifestationem non prohibuit; alioqui sibi esset contrarius, qui alibi dixerat: (*Matth. 5.*) *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* Qui ergo de virtute quam habet, interrogatus, se habere sciret, & propter hoc Deo gratias reddidit, & illius gloriam Deo à quo accepit, tribuit: non contra illud præceptum Dei agit: *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua.* Et de hac re satis. Nec scio aliquem qui contra hunc errorem expresso scripserit, præter unum beatorum Augustini, qui opus scripsit in quo contra omne mendacium disputat. Admoneo tamen lectorem ne occasione hujus erroris Casianum inter hæreticos recensent: quoniam ut in primo hujus operis lib. docuimus, fieri est possibile ut quis hæresim doceat, & hæreticus non sit censendus: quoniam non adeo pertinaciter illam tueretur, ut Ecclesiæ aliter docenti non sit paratus obedire. Forte hac & alia occasione hujus Casiani opera inter apocrypha recensentur à Gelasio Papa in capite Sancta Romana, decimaquinta distinctione, in libro Decretorum.

MENDICITAS.

NON desuere qui mendicantem tamquam præcipuum generis humani malum diuturnis convitiis laceraverit. Nam qui dicunt beatum populum cui adfuit divitiae, dicent etiam miserum & infelicem populum cui illæ se defunt, ut propter inopiam mendicare cogatur. Joannes siquidem Vvicleph cum suorum turba discipulorum docet non esse licitam mendicantem: quapropter monachos mendicantes execratur, dicens illos debere vivere per laborem manuum & non per mendicationem. Hunc eundem errorem hoc nostro sæculo suscitavit Lutherus, dicens mendicantem esse ex lege prohibitam. Quapropter cum ipse monachus esset ordinis eremitarum Sancti Augustini, & ob hoc mendicaverit (nam talis ordo monachus est unus ex quatuor mendicantibus) tamen postea à diabolo, cui adhæsit, excecatus, monachatum rejecit, & mendicantem damnavit, & ita tamquam canis ad vomitum reversus est. Nos autem cum Deo adiutore sumus memores Franciscanæ mendicantis, quam in nostra adolescentia vomimus, pro hujus mendicantis assertionem laboramus. Et quoniam pro religione pugnamus, confidimus in Deo quod de nostris inimicis triumphabimus: quoniam ostendemus ex sacris literis talem mendicantem non esse prohibitam, immo laudatam & meritoriam, ad quam Apostolos ex Christi institutione sæpe confugere oportuit pro victu habendo. Et quamvis de ipso Christo non sic legatur aut credatur, quod ipse aliquando mendicaverit, quia mulieres aliquæ probæ quæ illius doctrinam audiebant & suscipiebant, illi de facultatibus suis citra illius mendicantem ministrabant, non tamen inde sequitur mendicantem non esse licitam ad vitæ sustentationem. Nam multa sunt quæ certum est Christo non fecisse, quæ tamen licita sunt hominibus, ut inde vitæ suæ provideant. Numquam enim Christus caleos fecit, aut canistrum ex viminibus texens fecit, aut ligna lævigavit, aut lapides polivit. Numquid ideo colligere inde licebit, nullam ex illis artibus mechanicis esse licitam? Absit. Esto ergo ut numquam Christus mendicaverit, non tamen inde sequitur, ut aliis mendicare non liceat pro vitæ sustentatione. Sed jam ostendamus mendicantem esse Evangelio. Christus mittens discipulos suos ad prædicandum, præcepit illis omnium rerum defectum & penuriam, ut

omnibus rejectis, & in solo Domino jactantes cogitationem suam, crederent se ab illo nutriendos. *Nolite* (inquit *Matth. 10.*) *possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris.* Ecce pecuniam interdicitam. Verum quia pecunia seclusa poterant secum aliquid pro itinere deferre, ne hoc facerent, statim subjungit, dicens: (*Luc. 10.*) *Non peram in via, neque duas tunicas, neque calcamenta, neque virgam.* Ne autem quis putaret Apostolos fuisse tunc soli fortunæ commissos, ostendit illis unde habituri essent alimenta, dicens: (*Matth. 10.*) *Dignus est operarius mercede sua.* Vel ut alius Evangelista ait: *Dignus est mercenarius cibo suo.* Per quæ verba designavit illos, quibus Apostoli prædicabant, teneri ad præstandam illis alimenta. Et beatus Paulus in priora de Corinthios epistola cap. 9. hoc expressius docet, sic dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non comedit? Et paucis interjectis, subdit: *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra meramus?* Ecce vides Apostolos ab omni rerum possessione denudatos, qui de labore suæ predicationis debebant victum habere. Sed fingamus auditores fuisse adeo ingratos & immisericos, ut nullus illorum Apostolis alimenta præstiterit, nullique illorum Apostolos ad domum suam invitaverit, nam hoc possibile est contigisse, cum constet Christum in die solemnium palmarum, etiam postquam prædicasset Hierosolymis, à nemine illius oppidi fuisse invitatum, sed rediisse usque Bethaniam, ut ibidem pranderet (*Matth. 21.*) multo ergo melius hoc potuit contingere Apostolis. Quid ergo tunc facturi fuissent Apostoli? Numquid pati debebant mortem? Absit, cum possent eam evitare prodendo aliis suam egestatem. Si ergo poterant suam egestatem aliis revelare: ergo poterant mendicare: quoniam hoc ergo mendicantem appello. Sic enim definit Augustinus mendicantem. Quid est, inquit, aliud, mendicare, nisi ad hominum misericordiam vivere, sicut vivunt Judæi, supple, sub eorum gentium regibus, in quas translati sunt? Hæc Augustinus exponens versus illum Psalmistæ (*Psal. 108.*) *Nutantes transferantur filii ejus, & mendicant.* Quod si hæretici dicant illam Apostolorum petitionem non esse tunc dicendam mendicantem, cum Apostoli tunc pererent illud quod jure illis debebatur, illis contradicit Ambrosius, qui in libello de vinea Naboth, ita ait: *Audivimus vocem divitiis, aliena quærentis, audiamus vocem pauperis propria, mendicantis.* Non fiat (inquit) hoc à Deo, ut dem tibi hæreditatem patrum meorum. Hæc Ambrosius. Quibus verbis expressit ait Naboth propria mendicasse. Deinde si hoc ita se haberet, oporteret ut qui in extrema necessitate constitutus elemosynam pereret, non esset dicendus mendicare, cum petat id quod sibi jure debetur. Apostolis ergo opus erat mendicare, cum jam illis fuisset à Christo interdicta omnis pecunia. Unde Theophylactus exponens illud Lucæ cap. 10. *In eadem domo manente, edentes & bibentes quæ apud eos sunt, sic ait: Vide qualiter discipulos mendicare instituit, & pretio eos nutrimentum habere voluit.* Hæc Theophylactus juxta translationem antiquam, qua utitur Thomas in Cathena aurea. Nam in ea traductione quam recens addidit Oecolampadius, aliter sonat. Et suspicor Oecolampadium ex industria mutasse verba, quia ille etiam hoc eodem fuit pollutus errore, ut negaverit etiam mendicantem esse licitam. Præterea, ut quis vere dicatur mendicare, parum refert per se an per alium petat, quoniam qualitercumque petat, mendicare*

dicitur, sive per se petat, sive per alium, sive etiam per se petat, sive per alio. Et si hoc est mendicare, tunc aperte constat Paulum Apostolum mendicasse. Nam, ut patet ex priora epistola ad Corinthios, in Ecclesiis Galatiæ fiebant collectæ per unam sabbati pro sanctis qui erant in Hierusalem. Et in posteriore epistola ad Corinthios cap. 16. idem Apostolus fatetur se fecisse, & decernit se facturum collectas pro sanctis in Ecclesia Macedoniæ, & testatur se idem fecisse in Ecclesiis Corinthiorum. Rursum, Concilium Viennense quod celebratum est sub Clemente, 5. decernit modum vivendi fratrum Minorum per mendicantem, non solum esse licitum, verumetiam meritorium. Demum ex quadragintaquinque articulis Joannis Vvicleph damnatis in Concilio Constantiensi sessio octava, vigesimiquartus sic ait: *Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, & non per mendicantem.* De quo articulo Concilium per hæc verba profert sententiam. Prima pars (inquit) est scandalosa, & præsumptuose asserta, pro quanto sic generaliter & indistincte loquitur. Et secunda erronea, pro quanto asserit mendicantem fratribus non licere. Hæc Concilium Constantiense. Sed opus est ut objectionibus adversariorum respondeamus. Primo enim objicit nobis illud quod scribitur in Deuteronomio cap. 15. *Omnino egens & mendicus non erit inter vos.* Ex quo loco inferunt non licere alicui mendicare, cum hoc (ut ajunt) fuerit à Deo prohibitum. Huic objectioni respondemus illa verba non esse prohibitoria, sed promissoria. Hoc enim Deus promittit tibi servanti suam legem, ut si videlicet Judæi legem servassent, quam Deus illis per Moysen dedit, nullus inter eos futurus esset egens aut mendicus. Et quia Judæi legem transgressi sunt, ideo Deus non fecit cum illis juxta suam promissionem. Judæis siquidem tamquam carnalibus in præmium observationis legis promissit Deus solum bona temporalia, sicut est illud: (*Esai. 1.*) *Si audieritis me, bona terræ comedetis.* Ita etiam promissio quadam est, cum ait: *Omnino non erit egens aut mendicus inter vos.* Nam si verba illa fuissent (ut hæretici isti dicunt) prohibitoria, peccasset Elias mendicans à vidua, & Lazarus plenus ulceribus, cujus mendicantia laudata est in Evangelio. (*Luc. 16.*)

Hoc modo responderet objectioni Thomæ Vvalden. Potest tamen aliter responderi, mea quidem sententia multo melius & magis conformiter ad sacram litteram. Fateor quidem illa verba Deuteronomii explicare prohibitionem aliquam: tamen prohibitio illa non data est pauperi, nec tunc cum paupere Deus loquebatur, sed ad divites de pauperum subventionem (ut ex littera decursu facile colligi potest) tunc loquebatur. Deus, præcipiens illis ut tantam pauperum curam haberent, ut non sinerent, illos propter inopiam mendicare. Hoc autem, verba quæ postea Deus addit, aperte indicant. *Non deerunt* (inquit *3. Reg. 17.*) *pauperes in terra habitationis tuæ: idcirco præcipio tibi ut aperias manum tuam fratri tuo egenti, & pauperi qui tecum versatur in terra.* *Secundo* objiciunt illud Psalmistæ, dicens: (*Psal. 36.*) *Non vidi justum derelictum, nec semen ejus quærens panem.* Ex quo loco inferre volunt, illos non esse justos qui panem per mendicantem quaerunt. Cui objectioni respondemus secundum doctrinam Augustini, illa verba non esse intelligenda de pane corporali quem constat fuisse à multis justis quaesitum, quoniam (ut de aliis tacemus) David quaesivit panes propositionis à sacerdote. (*1. Reg. 21.*) Sed illa verba sunt intelligenda de pane spirituali verbi Dei, quem panem numquam justis Deus denegavit, ne-

que justum aliquem sic dereliquit, ut famem verbi Dei pateretur.

Circa panem tamen corporalem aut alias etiam res corporales sæpenumero Deus dereliquit justos, ut per similes pressuras melius valeant assequi regnum Dei. Contra hanc hæresim scribit latissime Thomas Vvalden. in primo tomo doctrinalis fidei antiquæ, libro quarto.

MERITUM.

Inter alios Lutheri errores is unus est quo ait, nullum esse hominis meritum ad gloriam assequendam. Tantum enim gratiæ tribuit, ut nullum locum relinquat libero arbitrio. Cum ergo (ut ait) totum ex gratia Dei pendeat, & nullo modo cooperetur libero arbitrio, dicit non posse aliquod hominis opus dici meritum, præsertim cum nostra opera ad gloriam æternam relata, diminuta reperiantur. Si Lutherus accipit meritum pro tali opere quod ex sua natura, & ex seipso æquale est præmio, certe illius sententia non est de errore notanda, quoniam non est aliquid opus nostrum est de tale quod æquari possit gloriæ æternæ. Nam Apostolus ait: (*Rom. 8.*) *Non esse condignas passionibus hujus sæculi ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Verum non semper sic capitur meritum, ut talem æqualitatem & obligationem naturalem innuat, sed aliam æqualitatem quæ non confurgit ex natura rerum, sed ex pacto quodam: quo pacto inito, æquale erit opus, quod ante non diceretur æquale: & debitum diceretur, quod alias non diceretur. Ut gratia exempli: Si in hastiludio quodam quod forte, non ultra unius horæ spatium protenditur, rex promitteret cuicumque melius vibranti hastam duobus occubus, gemmam aliquam pretiosam jocalem valentem sex millia aureorum, tunc si Petrus aut Joannes melius cæteris rem gesserit, dicitur absque dubio quod meritum est gemmam, & quod rex est debitor illius. Tale autem debitum non est ex rei natura, quod illi debita sit gemma, sed provenit ex pacto regis, & libera illius promissione, qui promittens donare, seipsum obligavit. Ita etiam & si nostra opera ex se sint indigna gloria, & nos per illa nullum jus habere poteramus ad gloriam æternam, nec gloria umquam fuisset nobis debita, tamen quia misericors Deus promissit servanti mandata sua se daturum illi vitam æternam, post talem promissionem debet Deus dare gloriam servanti sua mandata. Quod debitum in Deo non oritur ex nostris operibus, sed ex benigna ejus voluntate, qui promittens nobis, seipsum obligare voluit. Et juxta hunc modum intelligendo rationem meriti, constat nos nihil derogare majestati divinæ, cum dicimus opera nostra esse meritoria vitæ æternæ, quia hoc modo non dicimus Deum obligari, aut esse debitorem nostris operibus, sed dicimus eum obligari ex promissione sua, & esse debitorem promissioni suæ. Quod autem ipse promiserit, simpliciter & absolute est tribuendum gratiæ. Hoc modo negare meritum est hæresis, quoniam hanc meriti rationem sæpissime sacræ litteræ ostendant. Sapiens namque Ecclesiasticus cap. 16. ait: *Omnis misericordia faciet locum unicuique secundum meritum operum suorum.* Ecce vides ibi nomen meriti satis expressum. Cur ergo Lutherus tantum abhorret meriti nomen, quod Ecclesiasticus non est veritus profertre? Præterea nihil aliud designat illa Christi parabola de patrefamilias mittente operarios in suam vineam, cum quibus fecit conventionem ex denario diurno, finito vero labore, dixit patrefamilias procuratori suo: (*Matth. 20.*) *Voca operarios, &*

Cælo ad terram descendit, sub speciebus panis latians, & sanguis illius sub speciebus vini. Sed in medio hujus solemnitate oderunt Christum Lutherani, qui tantum donum contemnunt, & tantam solemnitatem floccipendant, & sic contententes, gloriantur quasi magnum aliquid fecerint. Videtur igitur mihi Lutherus in hac parte Antiocho Epiphane Syriæ Regi simillimus esse. Nam hic Antiochus, ut Machabæorum narrat historia, (1. Marc. 1.) cum sanctam Judæorum legem profus tollere, & illos ad gentium ritus cogere vellet, inter cætera, quæ ad hunc finem fecit, prohibuit sacrificia fieri in templo juxta Mosaicæ legis institutionem. *videtur enim Antiochus, ut Lutherus autem, ut totam Christi legem abrogaret, & Paganorum, aut Sarracenorum leges populo traderet, Evangelicæ legis excellentissimum sacrificium prohibuit, dum Missam abrogavit, ipsamque sacrificium verum esse, negavit. Contra hanc tam impiam, & Deo ingratam hæresim multipliciter pugnare oportet, ut illam aperte, revincamus, & arenæ cedere cogamus.*

Primo ergo percontari oportet Lutherum, an pro statu legis Evangelicæ sit aliquid sacrificium ab ipsa lege statutum, & illi peculiare. Non est dicendum, nullum esse peculiare legis Evangelicæ sacrificium: quoniam eadem ratione dicere oportebit, nullum esse ejusdem legis peculiare Sacerdotium, & inde ulterius sequetur, ut nulla etiam sit Evangelicæ lex. Nam tanta est legis, & Sacerdotii connexio, ut alterum ab altero divelli non possit. Si Paulus ex translatione Sacerdotii, (Heb. 7.) colligit legis translationem, eodem modo ex Sacerdotii, & sacrificii ablatione, legis etiam ablationem inferre licebit. Præterea, in omni lege, qualis illa fuit, semper fuerunt aliqua peculiaria illius legis sacrificia. Nam in lege naturæ, quæ una fuit apud omnes, aliqua fuerunt sacrificia, prout constat ex vita, & operibus Job, qui in sola lege naturæ vixit. Hic enim, ut illius refert historia, offerebat holocausta per singulos dies, ne forte filii ejus peccassent. De lege Mosaicæ non est opus disputare, cum manifestum sit, totam illam scaturire sacrificiis, & oblationibus. De gentili populo etiam constat, illum juxta diversitatem idolorum, quæ colebat, diversa habuisse sacrificia, ita ut nulla fuerit unquam gens tam barbara, quæ non habuerit aliquod sacrificii genus, quod offerret Deo, hoc est illi quem falso putabat esse Deum. Et hoc non aliunde evenit, nisi quia à natura est omnibus inditum, ut quisque Deum colat. Multo ergo magis in lege Evangelicæ, in qua clariorem Dei cognitionem habemus, necessarium est, ut in ea sit aliquod peculiare sacrificium multo excellentius omnibus sacrificiis aliarum legum. Tale autem nullum reperiri potest, nisi Missa sit sacrificium, in qua verum Christi corpus, & verus ejusdem sanguis Deo offertur. Missa ergo est sacrificium. Sed hæc & alia similia argumenta, quamvis fortissima, relinquamus, ne nos hæretici, ut solent quando nostris argumentis respondere nesciunt, sospitatis appellent, & sacræ scripturæ, & sanctorum testimoniiis, Conciliorumque definitionibus contra istos hæreticos pugnemus. Sed ne de sola vocis significatione, prout sæpe hæretici facere solept, frustra contendamus, rationem veri sacrificii prius statuere oportet, ut juxta illam probemus Missam esse verum sacrificium. Nam Vvitembergenses videntes, ut opinor, aliqua esse sanctorum testimonia, quæ aperte testantur, Missam esse sacrificium, ad hoc subterfugerunt, ut dicerent, Missam esse sacrificium, juxta latam, & nimis extensam hujus vocis significationem. Verba illorum quom de

Sacramento Eucharistiæ loquantur, sunt hæc. Deinde *Acum sacrificii nomen laicissime patet, ac generaliter significet sacrum cultum, libenter concedimus, verum, & legitimum usum Eucharistiæ posse hoc modo sacrificium dici. Hæc Vvitembergenses. Et post hæc verba negant Missam esse verum sacrificium, ut constat, ex verbis illorum, quæ jam supra citavimus. Quia vero nos dicimus Missam esse verum, & legitimum sacrificium, quod omnia alia sacrificia excellit: necessarium esse censui, veri sacrificii rationem prius ostendere, ut adversarii nostri intelligant id, pro quo contra illos disputamus, & non confundantur ad latam sacrificii significationem. Augustinus libro quarto de Trinitate, capite 14. declarat quæ sint necessaria, ut verum aliquid sit sacrificium, sic dicens: „ Quatuor considerantur in omni sacrificio: cui offeratur, à quo offeratur, quid offeratur, pro quibus offeratur. „ Hæc Augustinus. Ex istis quatuor, primum solum est extra omnem controversiam, tria vero ultima sunt controversa. Nam si constaret quis sit offerens, & quid offeratur, & pro quibus offeratur, apertissimum esset, Deum solum esse cui munus illud offertur. Ex istis tribus controversis solum unum est nunc discernendum, videlicet quid offeratur, nam pro quibus offertur, in proxime sequenti hæresi disputabimus. Quis autem sit qui offerat, in titulo De Sacerdotio hæresi prima, declaravimus: ubi multis testimoniis probavimus, solum Sacerdotem ab Episcopato ordinatum habere potestatem conficiendi, & offerendi Eucharistiam. Solum ergo superest, ut inquiremus de illo quod offertur. Quæ & qualis esse debeat ipsa res oblata, ut verum sacrificium dici possit, idem Augustinus docet libro decimo de civitate Dei, cap. 6. hæc dicens: „ Verum sacrificium est, omne opus quod agitur, ut sancta societas in hæreticis, & relictum scilicet ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possimus. Unde & ipsa misericordia, qua homini subvenitur, si propter Deum non sit, non est sacrificium. Est enim ab homine sit, vel offertur, tamen sacrificium res divina est: ita ut hoc quoque vocabulo id Latini veteres appellaverint. Unde de ipse homo Dei nomini consecratus, & Deo devotus, in quantum mundo moritur, ut Deo vivat, sacrificium est. „ Hæc Augustinus. Ex quibus verbis aperte colligitur, omne opus bonum, quod Deo offertur, esse verum sacrificium. Et hanc sacrificii definitionem ipsemet Calvinus admittit, qui in illa sua institutione Christianæ religionis, capite 13. 15. 60. hæc ait: Qui sacrificii vocabulum ad sacras omnes ceremonias, & religiosas actiones extendunt, qua ratione id faciant, non video. Nos perpetuo scripturæ usum, sacrificium appellari scimus, quod Græci nunc *thysian*, nunc *prophoran*, nunc *telein* dicunt. Quod generaliter acceptum, complectitur quidquid omnino Deo offertur. Hæc Calvinus. Ex quibus verbis constat inter nos, & illum de veri sacrificii definitione convenire. At cum beatum corpus Christi, & sanguis illius benedictus sit res optima, evidenter colligitur, ut illarum oblatio sit verum sacrificium, & quicumque res illas Deo patri offert, vere sacrificasse dicatur. Ut igitur manifeste convincamus Missam esse verum sacrificium, nihil aliud facere oportet, nisi probare, Sacerdotem Missam celebrantem offerre in illa Deo patri verum Christi corpus, & verum sanguinem ejus. Hoc autem facile Deo adiutore, me probaturum spero aperis sacræ scripturæ testimoniis, tam ex veteri, quam ex novo testamento sumptis. Testimonia veteris tes-*

testamenti partim ex figuris Sacramenti Eucharistiæ, quæ multæ in illo præbuerunt, partim ex Prophetiis sumenda sunt. Ex tam multis Eucharistiæ figuris, ne prolixitate nimia lectori fastidium præbeam, solas duas proferre, & discutere volo; quoniam hæc aperte convincunt Eucharistiæ oblationem per Sacerdotem in Ecclesia nunc fieri. Quod cum non alibi, quam in Missa fiat, inde convincemus Missam esse sacrificium. Sed forte hæretici volentes infringere vires argumentationis, quæ ex figuris sumenda est, dicent non posse ex sensu mystico sumi argumentum ad alicujus dogmatis probationem: quoniam hoc aperte docet Augustinus in epistola ad Vincentium Donatistam. Fateor equidem ex mystico sensu non posse semper sumi argumentum convincens, ad probandum aliquod dogma. Si tamen ex aliis scripturæ locis aperte constare poterit, illam mysticam scripturæ sacræ interpretationem esse verum, & germanum illius sensum, tunc bene potest ex illo mystico sensu, sumi argumentum ad aliquam doctrinam comprobendam. Nam hoc ipsum docet Augustinus in illa eadem epistola ad Vincentium Donatistam, quæ contra nos citata est, ubi hæc ait. Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum pro se adducere, nisi habeat etiam manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura. Hæc Augustinus. Ex cujus verbis satis constat bene posse sumi argumentum ex sensu mystico, quando aliunde constare poterit, talem sensum mysticum optime convenire illi litteræ, & esse verum illius sensum. Quæ Augustini sententia apertissime probatur ex Pauli exemplo, qui capite 4. epistolæ ad Galatas, & capite nono prioris epistolæ ad Corinthios, ad dogmatis comprobationem usus est testimoniis veteris testamenti juxta mysticum sensum intellectis. Hoc igitur semel facto firmissimo fundamento, juxta id quod primo proposueram volo ostendere, aliquas præcessisse in veteri testamento sanctissimæ Eucharistiæ apertissimas figuras, ex quibus evidenter convincitur, Missam in qua Eucharistia consecratur, & Deo offertur, esse verissimum sacrificium. Melchisedech Regem Salem fuisse figuram Christi veri, & summi Sacerdotis, & Sacerdotium Melchisedech fuisse figuram Sacerdotii legis Evangelicæ, aperte docet Paulus in epistola ad Hebræos, (cap. 7.) ubi inter alia dicit, de Christo esse intelligendum illud Regis Prophætæ: (Psalm. 103.) *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Oportet ergo inter figuram ipsam, & rem figuratam esse veram similitudinem, & umbram optime convenire corpori. Videamus ergo qui fuerit in Melchisedech, & in Sacerdotio illius, ut similia habere cogamur in Christo, & in Sacerdotio suo, quod instituit pro lege Evangelicæ. Quæ ad personam Melchisedech attinent, optime in præfata epistola ostendit Paulus Christo convenire. Oportet ergo jam comparare Melchisedech Christo juxta ordinem Sacerdotii, ut videamus quomodo juxta hunc ordinem fuerit similis Christo. Quia nisi in ipso ritu Sacerdotii Melchisedech aliquid inveniat, quod fuerit figura Sacerdotii Christi, non poterit vere dici, quod Christus sit Sacerdos, secundum ordinem Melchisedech. De Sacerdotio autem Melchisedech, & illius ritu, nihil aliud expressit scriptura, nisi quod panem, & vinum obtulit Deo pro victoria, quam Abraham habuit contra quinque Reges. Ut igitur corpus umbræ respondeat, necessarium est in Sacerdotio legis Evangelicæ, aliquam similem hostiam haberi, quæ conveniat cum pane, & vino. At cum nulla talis corporalis, & visibilis hostia, quæ Deo offe-

ratur, habeatur in lege Evangelicæ, nisi sanctissima Eucharistia, in qua sub speciebus panis later corpus Christi, & sub speciebus vini sanguis illius, convociatur inde aperte, Missam in qua talis hostia Deo offertur esse verum sacrificium. Hujus argumentationis vires hæretici agnoscentes, & videntes se ab illa fortiter premi, rimulas aliquas quaerunt, per quas ab illius potentia effugere possint. Primo quidem negant Melchisedech fuisse figuram Sacerdotii legis Evangelicæ. Parentur quidem illum fuisse figuram Christi, quia illud tam aperte docet Paulus, ut citra impudentiam negari non possit: negant tamen Melchisedech figuram fuisse Sacerdotii Evangelicæ, quia nihil (ut ajunt) præcessit in Melchisedech, quod soli Sacerdotio Evangelico figurative convenire possit. Sed hæc istorum responsio facillime convincitur Pauli testimonio, qui volens probare Sacerdotium legis Evangelicæ multo nobilius, atque præstantius esse, quam Sacerdotium legis Mosaicæ, ex facto ipsius Melchisedech circa Abraham, hoc convincit: quia Melchisedech benedixit Abraham, in cuius lumbis tunc erat Levi, de cuius tribu erat Sacerdotium Aaronicum. *Quod enim minus est, ait Paulus, (Heb. 7.) à majore benedicitur.* At si per Melchisedech solus Christus figuraretur, & non Sacerdotium Evangelicum, quod post mortem Christi perpetuo manet in Ecclesia, nullas vires haberet Pauli argumentatio: quia per illam solum probaretur Christum meliorem esse, quam Aaron. Constat autem manifeste, Paulum illo loco de hac re non contendisse, sed solum de nobilitate Sacerdotii Evangelici, ex qua convincere nititur cessasse Sacerdotium Leviticum. Quia accedente meliore Sacerdotio, oportebat, ut cederet minus bonum. Et inde concludit legem Mosaicam jam cessasse: quia necessarium esse putat, ut transito Sacerdotio, legis translatio fiat. Præterea, multi vetusti Doctores sancti, ac doctissimi testantur, Melchisedech Sacerdotem non solum Christi Sacerdotis, sed etiam Sacerdotii Evangelici gestasse figuram. Eucherius Lugdunensis Episcopus, qui ante mille annos floruit, in commentariis super Genesim declarans gesta Melchisedech Sacerdotis inter alia hæc ait: „ Quod autem Patriarcha magnus decimas Melchisedech Sacerdoti post benedictionem dedit, illud spiritaliter expressit, melius videlicet futurum Sacerdotium in populo gentium, quam Leviticum, quod in, Israel de ipsa erat nasciturum, futurumque ut Sacerdotium Ecclesiæ: habens præputium benediceret in Abraham circumciso Sacerdotium Synagogæ. „ Hæc Sanctus Eucherius. Et ante istum Augustinus libro 16. de civitate Dei, capite 22. postquam dixit Melchisedech benedixisse Abraham post devictos ab eo quinque Reges, hæc quæ sequuntur, ait: „ Ibi quippe primum, apparuit sacrificium, quod nunc offertur Deo toto orbe terrarum, impleturque illud, quod longe post hoc factum, per Prophetam dicitur ad Christum, qui fuerat venturus in carnem. *Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* (Psalm. 109.) Non scilicet, secundum ordinem Aaron: qui ordo fuerat auferendus, illucentibus rebus, quæ illis umbris prænotabantur. „ Hæc Augustinus, qui non solum dicit Melchisedech fuisse figuram Sacerdotii Evangelici, sed dicit in illo fuisse figuram sacrificii, quod offertur toto orbe terrarum. Et ne possit hæreticus verba illius detorqueere in alium sensum, dicendo illum locutum fuisse de aliquo alio sacrificio, dixit sacrificium illud, quod offertur toto orbe terrarum, esse illud per quod impletur prophætia, quæ

brofias. In quibus verbis multa annotare oportet. Primum est, in Eucharistia contineri corpus, & sanguinem Domini nostri Jesu Christi: & hoc contra Berengarium, & Oecolampadium, Carolstadium, Zuingleum, & reliquos negantes veram carnem, & verum sanguinem Christi in Eucharistia contineri. Alterum est, quod nos hanc hostiam, videlicet corpus, & sanguinem Christi offerimus, & hoc testimonium juvat ad expugnationem proxime sequentis hæresis, quæ negat Missam esse sacrificium. Tertio annotare oportet quod ait, Christum instituisse formam sacrificii perennis; & docuisse offerri: & hoc est contra hanc hæresim, de qua nunc disputamus, quæ negat Missam institutam esse à Christo. Nam hanc oblationem, & hoc sacrificium nos Missam appellamus. Eusebius Emisensis sermone quinto de paschate, loquens de Cena Domini, & de passione hæc ait: Et inde quia corpus assumptum ablatum erat ex oculis nostris, & syderibus illaturus, necessarium erat, ut nobis in hac die Sacramentum corporis, & sanguinis sui consecraret, ut cohereret jugiter per mysterium, quod semel offerretur in pretiis: & quia quotidiana, & indefessa curebat pro hominum salute redemptionem perpetua, etiam esset redemptionis oblatio, & perennis illa victima viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia. Vere unica, & perfecta hostia fide æstimanda, non specie: neque exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Hæc Eusebius Emisensis. In quibus ea omnia annotare oportet, quæ in verbis Ambrosii annotavimus. Chryostomus in ritu Missæ Græcicæ ab eo instituto, jubet, ut Sacerdos, dum hymnus cherubicus cantatur, sequentem dicat orationem: Nullus eorum qui carnalibus cupiditatibus, & voluptatibus est alligatus, dignus est ad te accedere, vel appropinquare, vel tibi ministrare. Rex gloriæ. Tibi enim ministrare magnum est, & velipis celestibus potestatibus terribile. Sed tamen propter inenarrabilem, & infinitam tuam benignitatem citra conversionem, & commutationem homo factus es, & noster Sacerdos appellatus, & hujus ministratori, & inveniendi sacrificii consecrationem nobis tradidisti, tamquam Dominus omnium. Hæc Chryostomus in ritu Missæ. In quibus verbis, & Missam dicit esse incrementum sacrificium, & illius consecrationem, quam nos Missam appellamus, Dominum tradidisse. Cyprianus in epistola ad Cæcilium, quæ tertia est libri secundi, docens non esse offerendum calicem cum solo vino, neque cum sola aqua, hæc ait: Nam si Jesus Christus Dominus, & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri ipse primo obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia, si Deo patri, si sic incipiat offerre secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Cæterum omnis religionis, & veritatis disciplina subvertitur, nisi id quod spiritualiter præcipitur, fideliter referretur. Et aliquibus interpositis, subdit. Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii ostenderet occasum, & vesperam mundi: sicut in Exodo (cap. 12.) scriptum est: Et occidit illum omne vulgus synagoga filiorum Israel ad vesperam. Et iterum in Psalmis: (Ps. 140.) Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Nos autem resurrectionem Domini mane celebramus. Et quia passionis mentionem in sacrificiis omnibus facimus, passio est enim Domini sacrificium, quod offerri-

mus) nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus. Hæc Cyprianus Martyr sanctissimus, & doctissimus. In quibus verbis passionem Domini dicit esse sacrificium, quod nos offerimus: & sæpe dicit Deum præcepisse, ut hoc illi sacrificium offereremus. Et quia hoc ipsum sacrificium Missa dicitur, inde convincitur Missam hanc ex Dei præcepto esse institutam: Alexander Papa hujus nominis primus, qui lectus à beato Petro summus Pontifex nameratur, in prima sua epistola, quæ est ad omnes fideles, hæc ait: In Sacramentorum oblationibus, quæ inter Missarum solemnia Domino offeruntur, passio Domini miscenda est, ut ejus corpus, & sanguis consecratur, passio celebratur, ita ut repulsis opinionibus superstitionum, panis tantum, & vinum aqua permixtum in sacrificio offerantur. Non debent enim (ut à patribus accepimus, & ipsa ratio docet) in calice Domini, aut vinum solum, aut aqua solum offerri, sed utrumque permixtum: quia utrumque ex latere ejus in passione profuissse legitur. Ipsa vero veritas instruit, calicem, & panem in sacramento offerre, quando ait: Accipite Jesus panem, & benedixit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, & manducate, hoc enim est corpus meum, quod pro vobis traditur. Similiter postquam convavit, accepit calicem, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, & bibite ex eo omnes: quia hic est calix sanguinis mei, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum. (Matt. 26.) Hæc Alexander Papa, verus Christi Martyr. In quibus verbis id inter alia annotare oportet, quod in Missarum solemnibus sacrificia offerri dicit, & hoc non ex statuto humano, & papistico, ut recentis hæretici loquantur, sed ex institutione divina: Martialis unus ex septuaginta Domini discipulis, Petri Apostoli comes individuus, in epistola ad Burdegalenses, capite tertio, hæc ait: Quod autem Judæi per invidiam immolaverunt, putantes he nomen ejus à terra obolare: nos causa salutis nostræ in ara sanctificata proponimus, scientes hoc solo remedio nobis vitam præstandam, & mortem effugandam. Hoc enim ipse Dominus noster jussit nos agere in sui commemorationem. Hæc Sanctus Martialis. In quibus verbis id potissimum annotare oportet, quod ait nos ex Domini præcepto offerre illud idem corpus, quod Judæi per invidiam occiderunt. Non est ergo Missa ex humana traditione, ut hæretici mentiuntur, sed ex præcepto divino prout omnes isti testantur. Sunt adhuc alia sanctorum, & vetustissimorum virorum testimonia, qui & si non dicant Missam fuisse à Christo institutam, Missæ tamen mentionem facientes, eam nomine Missæ appellant, & in illa sacrificium corporis, & sanguinis Domini Deo offerri dicunt, quod nequaquam sine Dei jussu, & auctoritate Sacerdos ullus facere posset. Telephorus Papa, & Martyr in epistola sua, quam scripsit ad omnes Christi fideles de Missarum celebratione loquens, hæc ait: Missarum celebrationes ante horam diei tertiam minime sunt celebrandæ, quia & eadem hora Dominus crucifixus est, & super Apostolos Spiritus Sanctus descendisse legitur. Ab Episcopis autem idem Angelicus hymnus pro tempore, & loco in Missarum solemnibus celebrandus est, atque solemniter recitandus. Ipsi enim qui proprio ore corpus Domini conficiant, ab omnibus sunt audiendi, obediendi, atque timendi. Hæc Telephorus Papa, & Martyr. Ecce audis nomen Missæ ante mille & quadringentos annos scriptum, quod illi hæretici, tamquam regens inventum abolendum esse dicunt. Sed ut apertius listos hæreticos de suo impudentissimo mendacio convincam,

Malios

alios vetustiores testes proferre volo. Clemens Papa hujus nominis primus, & Petri Apostoli discipulus, in epistola tertia præcepit Presbyteris, & aliis Clericis, ut nihil abique proprii Episcopi licentia agant, neque Missas sine ejus jussu celebrent. Et paucis interpositis, subdit: In aliis locis sacrificare, & Missas celebrare non licet, nisi in his in quibus Episcopus proprius juserit. Hæc Clemens Papa, & Martyr. Abbas Babylonice Episcopus ab Apostolis ordinatus, qui se Christum in carne vidisse testatur, libro septimo Apostolicæ historiæ, in quo gesta Matthei Apostoli, & Evangelicæ narrans, postquam dixerat Mattheum publice orasse Deum, pro Ephigenia filia Aegipti Regis Æthiopiæ, quam Hirtacus Regni successor, sibi conjugium copulare volebat, quamvis illa virginitatem Deo vovisset, hæc quæ sequuntur, de Mattheo refert. Cumque respondisset, Amen, & mysteria Domini celebrata, & Missam suscepisset omnis Ecclesia, reinuit se, ut iuxta altare, ubi corpus ab eo fuerat Christi consecratum, illic martyrium Apostolicum exultaret. Itaque non multo post, expansis manibus orantem, speculari Missus ab Hirtaco, à tergo punctum, unius gladii ictu feriens Apostolum, Martyrem Christi effecit. Hæc Abdias Ecce Missæ nomen, quod hodierni hæretici abominantur, apud discipulos Christi, & Apostolorum ejus in veneratione habitum reperimus. Et inde etiam convincitur, Missam non esse rem papisticam, ut hæretici illam injuriose appellant, sed à Christo ipso institutam. Merito ergo talis assertio Joannis Vvicleph est velut hæretica damnata. Nam ex 45. articulis ejusdem Vvicleph in Concilio Constantiensi damnatis, quintus articulus sic ait: Non est fundamentum in Evangelio, quod Christus Missam ordinavit. Quæ assertio simul cum aliis, una super omnes lata sententia, damnata est. Contra hanc hæresim copiose disputat Thomas Vvaldensis in libro De Sacramentalibus, titulo quarto. Secunda hæresis est multo pestilentior: quia non solum negat Missam esse à Christo institutam, sed insuper negat Missam esse sacrificium, immo quod multo pejus est, negat Missam esse aliquod opus bonum. Primus hujus nefandæ hæresis auctor, & publicus defensor est Martinus Lutherus, neque ullus ex his, qui verum Christi corpus, & verum ejus sanguinem in Eucharistia contineri fatentur, ausus fuit unquam usque adeo Missæ palam detrahere, ut palam negaret illam esse sacrificium. Quamquam Erasmus Roherodamus, qui ante Lutherum scripsit, ut ingenue loquetur, non parvam suspitionem mihi dederit, se in hac pestilentissima fuisse sententia. Nam in Annotationibus super caput decimum tertium Actuum Apostolorum, ubi in vulgari translatione habetur, Ministrantibus autem illis, &c. ille annotat verendum esse sacrificantibus: quia Græcè habetur, leiturgion, quod proprium esse dicit operantium in sacris: & postea subdit hæc verba. Nullum est autem sacrificium Deo gratius, quam impartiri doctrinam Evangelicam. Hæc Erasmus. Ex quibus convincitur, illum aut negare Missam esse sacrificium, aut dicere illud non esse Deo magis gratum, quam impartiri doctrinam Evangelicam. Sed Erasmus relinquentes, quoniam non usque adeo aperte suam sententiam in hac parte declaravit, dicimus hujus impie hæresis primum auctorem fuisse Martinum Lutherum, qui Missam tanto odio persecutus est, ut adversus illam librum scribere non erubuerit, cui titulum nomenque dedit, De abroganda Missa. Verba Lutheri in hoc libro de Missa abroganda sunt hæc: Missæ, quas

sacrificia vocant, summa sunt idololatritæ, & impietatis: immo Missarum usum nomine sacrificiorum, & Sacerdotum titulo tenere, est negare Christum. Et in libro de captivitate Babylonica ait: Impiissimus abusus est, in Ecclesia persuaderi, Missam esse opus bonum, & sacrificium. Et iterum in eodem libro: Missa summa est perveritas, Hæc Lutherus, quæ tam blasphemata sunt, & tam horrenda, ut illa hic scribere non audeam, nisi me ipsa disputationis ratio cogeret propria adversarii verba fideliter citare, ut lector inde cognoscat, nihil à me confictum Luthero mendaciter tribuere, sed id solum referre, quod ille suis propriis verbis explicavit. Contra ræmen, ille & omnes alii illius sectatores facere solent, qui dum Catholicorum sententias referunt, semper mille mendacia miscent, & Catholicis sæpe tribuant, quæ numquam illis in mentem venerunt. Luthero in hac impiissima assertionem consentent omnes hujus temporis hæretici, saltem quos ego, vel ex nomine novi, ex quibus unum majori ætimatione apud eos habitum citare volo. Joannes Calvinus in illa sua institutione Christianæ religionis, capite 18. 13. 49. ubi postquam dixerat Scholasticos Theologos docere Missam esse sacrificium, hæc quæ sequuntur, ait: Valeant ipsi cum spinosis suis argutis, quæ utcumque cavillando defendi queant, ideo tamen repudiandæ sunt bonis omnibus, quod nihil quam cænz claritatem multis tenebris inducant: Illis ergo valere jussis, congregati me, hic lectores intelligant cum ea opinione, qua Romanus Antichristus (Papam hoc nomine appellant Calvinus, & Lutherus, & omnes hujus temporis hæretici) ac ejus Prophetæ totum orbem imbuerunt: nempe Missam esse opus quod Sacerdos qui Christum offert, & alii qui in oblatione participant, Deum promerentur. Neque id communi tantum vulgi opinione receptum est, sed ipsa quoque actio sic est instituta, ut genus sit placationis, quo pro vivorum, & mortuorum expiatione Deo satisfaciatur. Hæc Calvinus. Idem prorsus asserunt Vvitembergenses in libro quem Sacramentum pro confessione suæ fidei, ubi de Eucharistia Sacramentum differentes, & Catholicorum sententiam referentes, inter alia hæc dicunt. Alius error est, quod Eucharistia sit tale sacrificium, quod debeat jugiter in Ecclesia ad expianda peccata vivorum, & mortuorum, & pro impetrandis aliis beneficiis tam corporalibus, quam spiritualibus offerri. Hic error manifeste pugnat cum Evangelio Christi, quod testificat Christum una oblatione semel tantum facta consummasse in sempiternum sacrificium. Et quia Christus passione ac morte sua impetravit nobis remissionem peccatorum, quæ & nobis per Evangelium in novo testamento adnuntiatur: idcirco non licet amplius pro peccato sacrificare. Hæc Vvitembergenses. In quibus verbis duas simul profertur hæreses. Alteram, quæ negat Missam esse sacrificium: Alteram, quæ negat illam posse offerri pro peccatis vivorum, & mortuorum, aut pro aliis rebus, sive corporalibus, sive spiritualibus. De hac secunda hæresi nihil in hoc capite, sed in proxime sequenti dicemus. Propter hæc omnia, & alia multa horrenda, & execranda, quæ Lutherus, & illius sectatores in Missæ contemptum sunt ausi proferre, videtur mihi nos posse recte dicere Christo, id quod Propheta regius ait: (Psalm. 73.) Gloriam sunt qui oderunt te, in medio solemnitate tua. Nam omnium Christi solemnitarum, quæ in terris celebrantur, maxima est Missæ celebratio, per quam ad vocem Sacerdotis verum Christi corpus &

Ca.

dixit: Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech. Dicit ergo Augustinus, illud idem sacrificium nunc toto orbe terrarum offerri, quod Christus verus Sacerdos obtulit. At Christus, ut Paulus ait, semetipsum obtulit: ergo Sacerdos Evangelici emid em Christum toto orbe terrarum nunc offerunt. Chrysostronus, homilia 13. super epistolam ad Hebræos interpretans illa verba Pauli: Translatio Sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat, hæc ait: Si vero alium oportet Sacerdotem esse, magis autem alium Sacerdotium, necessarium, & legem alteram. Hoc ad eos qui dicunt, quid opus erat: novo testamento? poterat quippe adducere testimonium etiam ex prophetia, nempe, hoc est testamentum, quod dispositum patribus vestris. Interim nunc ex Sacerdotio dimicat. Et inruere quomodo ex superioribus dicat. Dixit, secundum ordinem Melchisedech. Hoc dicto exclusit Sacerdotium Aaron: nequaquam enim, secundum ordinem Melchisedech diceret, si illud Sacerdotium melius esset. Hæc Chrysostronus. Theodoretus in commentariis super Genesim, hæc ait: Melchisedech inde genus duxit? Cum divinus Paulus dicat, sine patre, sine matre, sine genealogia, quis veritatem hujus rei noscere potest? Vero tamen simile est, illum ex gentibus Palestinam incolentibus, fuisse; illorum enim erat, & Rex, & Sacerdos. Sacerdos autem universorum Dei. Quare, & ille ipse Abraham spoliatorum decimas obtulit: & cum esset justus, ac Dei amicus, ab illo benedictionem accepit. Domini enim Sacerdotis figuram gessit. Hæc Theodoretus Cyrensis Episcopus. Ex his omnibus testimoniis constat factis Melchisedech Regem, non solum fuisse figuram Christi veri Sacerdotis, sed etiam Sacerdotii Evangelici, quod mortuo Christo manet in Ecclesia. Oportet ergo, ut Sacerdos Evangelicus aliquid offerat, quod sit aliquo modo simile pani, & vino, quæ obtulit Melchisedech. Aliter respondent huic nostræ argumentationi, ut audio, quidam alii existis recentibus hæreticis, negantes Melchisedech fuisse Sacerdotem, ut nunc utimur nomine Sacerdotis: quia dicunt vocem illam, quæ habetur in Hebraica, aut Chaldaica lingua, non solum significare Sacerdotem, sed etiam Principem: & juxta significationem principis dicunt capi in illo loco libri Genesios, ubi de Melchisedech differit scriptura: sed qui hoc dicunt, uno mendacio aliud protegere volunt. Quid vox Hebraica, aut Chaldaica significet, candido animo fateor me nescire, quia linguas illas profusus ignoro: & nolo alieno ore loqui. Hoc autem ex ipso literæ decursu manifeste intelligo, vocem illam Hebraicam non esse illo loco positam, ut significet Principem, quum dicit: Erat enim Sacerdos Dei altissimi. Nam cum jam vocasset illum Regem, frustra eandem sententiam repetisset, dicens: Erat enim Sacerdos Dei altissimi: hoc est, juxta istorum interpretationem, Princeps Dei altissimi: quæ verba omnino superflua sunt, præsertim cum tam propinqua sint aliis, quibus apertissime dixerat illum esse Regem. Deinde, ipsa eadem scriptura refert Melchisedech benedixisse Abraham, & Abraham obtulisse illi decimas. At benedicere, & decimas recipere, non sunt Principum officia, sed Sacerdotum. Fuit ergo Melchisedech verus Dei Sacerdos. Sunt rursus alii hæretici, qui alio modo respondent argumento, quod ex figura Sacerdotis Melchisedech proposuimus. Negant enim Melchisedech juxta Sacerdotii sui ordinem obtulisse Deo panem, & vinum: quia hoc, ut dicunt, scriptura non refert: sed dicunt illam tantum narrare, Melchisedech protulisse panem, & vinum Abraham redeuntis de victoria

quinque Regum. Ita docet Zuingleus, qui primus apud Helvetios cum Oecolampadio hæresim Berengarii susceperat, negans verum Christi corpus, & veram sanguinem ejus in Eucharistia contineri. Eodem modo respondet Andreas Osiander Nurembergensium. Propheta. Hoc tamen istorum hæreticorum dictum non est ab ipsis excoGITatum: quia Judæi, qui istos per multa sæcula præcesserunt, volentes depravare, & deturbari scripturas, quæ de Christo figurative locutæ sunt, hanc historiam Melchisedech, ut Nicolaus de Lyra illo loco refert, eodem modo in pervertum sensum detorseverunt, quo diximus istos hæreticos sentire. Sed falsum esse quod ajunt, ex ipsius litteræ contextu apertissime convincitur. Nam quatuor illi Reges pro quibus pugnaverit Abraham, secum portari fecerant ea, quæ ad cibum erant necessaria, quibus Abraham illiusque servi sunt usi, prout Abraham ipse restatur loquens ad Regem Sodomæ, qui omnia spolia præter animas illi offererat: Non accipiam, inquit Abraham, (Genes. 14.) ex omnibus quæ tua sunt, exceptis his quæ comederunt juvenes. Neque enim opus erat, ut Melchisedech cibum, & potum offerret bellatoribus, qui tam opimis spoliis prælio revertébantur, omnem suppellectilem captam secum reducent es. Præterea, frustra scriptura meminisset illum fuisse Sacerdotem, si non in sacrificio proferebat panem, & vinum: quia profere æ quæ ad victum pertinent, non est Sacerdotum officium, sed laicorum. Immo nec ad laicum Regem conveniebat, ut victoribus propria manu alimenta protulisset, quia factis erat dignitatis regie si per ministros suos alimenta misisset. At quum benedixit Abraham, non aliena manu, sed propria id fecit: ergo quum panem, & vinum protulit, non aliena manu, sed propria dedit: quia scriptura eodem modo refert illum ea omnia fecisse. Deinde, si Melchisedech non obtulit Deo panem, & vinum, ut hæretici isti dicunt, profertur illi ritum, & ordinem, quem Melchisedech in Sacerdotio suo habuit. Nam fatuum est dicere, quod scriptura nullum ordinem Sacerdotii illius expresserit, cum tamen ipsa sacra scriptura alibi dicat, Christum esse Sacerdotem, secundum ordinem Melchisedech. Et certe si verba scripturæ bene inspiciantur, aperte ex illis convinci intelligit, Melchisedech non Abraham, sed Deo obtulisse panem, & vinum. Nam postquam dixerat Melchisedech panem, & vinum obtulisse, causam hujus rei ostendere volens, statim subjunxit: erat enim Sacerdos Dei altissimi. Mirari enim quis posset, quod Rex oblationem fecisset: ideo statim dixit: Erat enim Sacerdos Dei altissimi: si conjunctionem copulativam posuisset, dicens: Et erat Sacerdos Dei altissimi, dubitari merito poterat, quæ obtulisset panem, & vinum: sed cum posuisset conjunctionem causalem, dicens: Erat enim Sacerdos Dei altissimi, videntur illa verba posita, ut reddant causam, quare obtulerit panem, & vinum, quia videlicet erat Sacerdos. At Sacerdotis officium non est offerre victoribus, sed Deo. Obtulit ergo Melchisedech Deo, & non Abraham. Accedit ad hæc omnia testimonium multorum illustrium virorum sanctitate perinde, ac doctrina clarissimorum, qui omnes concorditer docent Melchisedech fuisse Sacerdotem, obtulisseque Deo panem, & vinum, & sic Christi Sacerdotis figuram gessisse. Omitto hic recentiores Theologos, qui etsi viri doctissimi sint, non sunt tamen in tanta æstimatione ab omnibus habiti. Ab Haymone istorum omnium novissimo incipere volo, qui super caput 5. epistolæ ad Hebræos, hæc ait. Sed quare secundum ordinem Melchisedech, & non secundum Aarop, dicatur existere Sacerdos, diversa causa

exist-

existunt. Et prima quidem est: quia Melchisedech secundum Legalia mandata non fuit Sacerdos, sed secundum eujusdam singularis sacerdotii dignitatem, offerens Deo vinum, & non brutorum animalium sanguinem. In cuius ordine sacerdotii Christus factus est sacerdos, non temporalis, sed æternus: nec offerens victimas legales, sed instar illius, panem & vinum, carnem videlicet & sanguinem suum, de quibus ipse dixit: (Joan. 6.) Caro mea vere est cibus, & sanguis meus verus est potus. Ita quoque duo mœnera panem videlicet & vinum commisit Ecclesie suæ in memoriam sui offerenda. Unde patet sacrificium peccuam peritisse, quod fuit ordinis Aaron: & illud manere potius, quod ordinis fuit Melchisedech, quia & Christus illud corroboravit, & Ecclesia tenendum reliquit. Hæc Haymo. In quibus verbis aperte docet Melchisedech obtulisse Deo panem & vinum, & in hoc gessisse Christi figuram, & Christum reliquisse Ecclesie suæ corpus & sanguinem suum, ut posset illa in illius memoriam Deo offerre. Calsiodorus in commentariis super Psalmos interpretans illum verbum: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hæc ait: Cui enim potest veraciter & evidenter apparere, nisi Domino Salvatori qui corpus & sanguinem suum in panis ac vini erogatione salutariter consecravit? Sicut ipse in Evangelio dicit: (Joan. 6.) Nisi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam. Sed in ista carne & sanguine nil creantur, nil corruptibile mens humana concipiat: ne sicut dicit Apostolus: (1. Cor. 11.) Qui enim corpus Domini indigne manducat, judicium sibi manducat: sed vivificationem substantiam atque salutarem & ipsius verbi propria factam, per quam peccatorum remissio & æternæ vitæ donâ præstantur. Quem ordinem per mysticam similitudinem Melchisedech iustissimus Rex intulit: quando Domino panis & vini fractus obtulit. Constat enim peccuam victimas perisse, quæ fuerunt ordinis Aaron: & Melchisedech manere potius institutum, quito orbe in sacramentorum erogatione celebratur. Hæc Calsiodorus. Qui aperte docet Melchisedech obtulisse Deo panem & vinum, & in hac oblatione figurasse Christum Salvatorem nostrum. Id idem etiam libro primo de officiis Ecclesiasticis capite 18. hæc ait: Sacrificium autem quod a Christianis Deo offertur, primum Christus Dominus nosse, & magister instituit, quando commendavit Apostolis corpus & sanguinem suum prout suam traderet, sicut legitur in Evangelio. (Mat. 26.) Accipit, inquit, Jesus panem & calicem, & benedicens, dedit eis. Quod quidem sacramentum, Melchisedech rex Salem figurat in typum corporis & sanguinis Christi primus obtulit, primumque mysterium sancti sacrificii imaginarie idem expressit, præterens similitudinem Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi Sacerdotis æterni, ad quem dicitur: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hæc Isidorus, qui etiam omnia ad hujus hæresis expognationem necessaria apertissime docet. Nam dicit Melchisedech obtulisse in typum corporis & sanguinis Christi, & fuisse figuram Christi Sacerdotis æterni, & illud idem nunc offerre Christianos ex Christi institutione sacrificium, quod ipse obtulit. Sed quia forte hæretici hos tres, quamvis ante septingentos annos eorum Junior fuerit natus, & Isidorus ante nonngentos, non verebantur rejicere tamquam resectes Theologos, volo antiquiores & magis illustres testes producere, Hieronymus in epistola ad Evagrium differens de Melchisedech, inquit-

que quis illi fuerit, refert sententias veritissimorum illustrium virorum, sic dicens: Veri me ad Hippolum, Irenæum, Eusebium Casariensem, & Emissenium, Apollinarium quoque nostrum, & Bassianum, qui primas Antiochanae Ecclesie Episcopus contra Arrium clarissima tuba, bellum cecinit & deprehendit, horum omnium opiniones diversis argumentationibus, ac diverticulis in unum compitum pervenisse, ut dicerent, Melchisedech hominem fuisse Chanaanum, Regem urbis Hierosolymæ, quæ primum Salem, postea Jebus, ad extremum Hierusalem appellata sit: nec mirum esse, si Sacerdos Dei altissimi describeretur, absque circumcisione, & legalibus ceremoniis & genere Aaron, cum Abel quoque & Enoch & Noe placuerint Deo, & victimas obtulerint: & in Job volumine legitur, quod ipse & oblator munerum fuerit, & Sacerdos, & quoti die pro filiis suis hostias immolavit: (Job 1.) & ajunt ipsum quoque Job non fuisse de genere Levi, sed de stirpe Esau, licet aliud Hebræi autement. Quomodo autem Noe inebriatus in domo sua, & nudatus atque derisus a Mediano filio, typum Salvatoris præbuit, & Cham populi Judæorum, Samsen quoque amator metricis & pauperis Dalidæ multo plures hostium mortuus, quam vivus occidit, ut Christi exprimeret passionem, omnesque pene sancti Patriarchæ & Prophete in aliqua re figuram expresserunt Salvatoris. Sic & Melchisedech, eo quod Chanaanus fuerit, & non de genere Judæorum, in typum præcessisse sacerdotii filii Dei, de quo dicitur in testimonio Psalmo: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Ordinem autem ejus multis modis interpretantur, quod lotus & Rex fuerit & Sacerdos, & ante circumcissionem sanctus sacerdotio, ut non gentes ex Judæis, sed Judæi a gentibus sacerdotium acceperint: neque undatus oleo sacerdoti, ut Moysi præcepta constituunt, sed oleo exultationis & fidei puritate: neque carnis & sanguinis victimas immolaverit, & brutorum sanguinem eorum animalium extra, id est, quicquid super eam est suscepterit: sed pane & vino, simplici puroque sacrificio Christi dedicaverit sacramentum. Hæc Hieronymus. In quibus verbis non suam, sed aliorum multorum illustrium virorum retulit sententiam, qua unanimes illa asserunt, Melchisedech panis & vini sacrificium fecisse, & illo indicasse Christi sacramentum, id est sanctissimum Eucharistiam. Sed opus est ut ipsius etiam Hieronymi audiamus sententiam, quam aperte manifestat in libro de questionibus Hebraicis, hæc dicens: Melchisedech autem Apostolus ad Hebræos sine patre & matre commendans, ad Christum refert, & per Christum ad gentium Ecclesiam. Omnis enim capitis gloria refertur ad membra, eo quod præputium habens, Abraham benedixit circumciso, & in Abraham Levi, & per Levi Aaron, de quo postea sacerdotium. Ex quo colligi vult, sacerdotium Ecclesie habentis præputium, benedixisse circumciso Sacerdoti synagogæ. Quod autem ait: Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, mysterium nostrum in verbo ordinis significatur, nequaquam per Aaron irrationabilibus victimis immolantibus, sed oblatio pane & vino, id est, corpore & sanguine Domini Jesu. Hæc Hieronymus in Hebraicis questionibus. In quibus verbis omnia quæ ad præsentem disputationem poterant nobis suffragari, apertissime locutus est. Dixit enim in Melchisedech fuisse figuratum non solum Christum, sed etiam sacerdotium Ecclesie ex-

gen-

gentibus congregata. Dixit etiam ipsum Melchisedech sacrificasse in pane & vino, & figurasse sacrificium nostrum in corpore & sanguine Christi. Sed apertius adhuc eandem doctrinam nobis tradit in commentariis super Psalmos, ubi interpretans illum versum ex Psalmo 109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, hæc ait. Hoc solum dicamus quare dixerit secundum ordinem. Secundum ordinem nequaquam Sacerdos eris secundum victimas Judaicas: sed eris Sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quomodo enim Melchisedech rex Salem obtulit panem & vinum: sic & tu offeres corpus tuum & sanguinem, verum panem, & verum vinum. Iste Melchisedech, ista mysteria quæ habemus, dedit nobis; ipse est qui dixit: Qui manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum. Secundum ordinem Melchisedech tradidit nobis sacramentum suum. Hactenus Hieronymus, qui tam aperte nostræ & Catholicæ sententiæ favet, ut nihil apertius possit justè desiderari. Eusebius Emisenus ab eodem Hieronymo laudatus & in priori loco ab illo citatus, in sermone quinto de paschate, loquens de Eucharistia, hæc ait: Sacramenti hujus itaque formam etiam in Judæorum paginis invenimus expressam. Nam de Melchisedech in Genesi cap. 14. legitur. Et Melchisedech Rex Salem protulit panem & vinum, & benedixit Abraham. Melchisedech autem fuit Sacerdos Dei summi. Hic ergo Melchisedech cujus genealogia vel origo notitiam illius temporis latuit, oblatione panis & vini, hoc Christi sacrificium præsignavit, de quo Prophetæ prænantia: (Psal. 109.) Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Hæc Eusebius Emisenus, qui et legit Melchisedech protulisse panem & vinum, nihil tamen ideo veritas est asserere, illum oblatione panis & vini figurasse sacrificium Summi Sacerdotis Domini nostri Jesu Christi. Eusebius Cæsariensis libro quinto, cap. 3. demonstrationis Evangelicæ huic sententiæ favet, sic dicens. Merito illum à ministerio Aaron liberat, quod figuram gerebat, & secundum ordinem Melchisedech Sacerdotem futurum affirmat. Est sane oraculi exitus admirabilis ei qui contempletur, quemadmodum Salvator noster Jesus, qui est Christus, de ipsius Melchisedech ritu, ea quæ ad Sacerdotium in hominibus querendum spectant, per suos ministros perficiat. Nam quemadmodum ille qui sacerdos gentium erat, nusquam videtur sacrificiis corporalibus functus, sed vino solo & pane, dum ipsi Abraham benedixit: ita sane primus ipse Salvator ac Dominus noster; deinde qui ab ipso profecti sunt Sacerdotes in omnibus gentibus, spirituale secundum Ecclesiasticas sanctiones sacerdotii munus obeuntes, vino ac pane, & corporis illius & Salvatoris sanguinis mysteria representant, quæ sane mysteria, Melchisedech tanto ante spiritu divino cognoverat, & rerum futurarum imaginibus usus fuerat, sicut etiam Moysi scriptura testificatur, ubi ait. Et Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum. Erat autem Sacerdos Dei altissimi, & benedixit Abraham. Hæc Eusebius, qui satis aperte asserit, Melchisedech pane & vino tamquam particularibus sacrificiis usum fuisse. Denique Cyprianus istorum omnium vetustissimus, in epistola ad Ceciliam, quæ est tertia libri secundi, ubi docet neque vinum sine aqua, neque aquam sine vino posse in calice Domini consecrari & Domino offerri, hæc ait: Item in Sacerdote Melchisedech, sacrificii Domini sacramentum præfiguratum videmus, secundum quod scriptura divina testatur, & dicit. Et Melchisedech

Rex Salem protulit panem & vinum. Fuit autem Sacerdos Dei summi & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typum Christi portaret, declarat Spiritus Sanctus in Psalmo 109. ex persona patris ad filium dicens: Ante luciferam generavi te. Suravi Dominus & non penitebit eum: tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui osdo utique hic est de sacrificio illo veniens, & inde descendens: quod Melchisedech Sacerdos Dei summi fuit qui panem & vinum obtulit, qui Abraham benedixit. Nam quis magis Sacerdos Dei summi quam Dominus noster Jesus Christus qui sacrificium Deo patri obtulit? Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulit, id est, panem & vinum, suum scilicet corpus & sanguinem. Hæc Cyprianus. In quibus verbis aperte satis docet omnia, quæ ad hæreticos convincendos erant nobis necessaria, ita ut nihil amplius desiderari possit. Præter istam figuram de sacerdotio Melchisedech, est alia de agno paschali, per quam, si necessarium est, umbram similem esse corpori, apertissime probatur. Missam esse sacrificium, in quo verum Christi corpus sub speciebus panis, & verus ejusdem, sanguis sub speciebus vini latens, offertur. Nam quod agnus ille paschalis fuerit Christi figura, testatur est Joannes Baptista, (Joan. 1.) quum Christum digito demonstrans, dixit: Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Sed multo apertius de hac re testimonium dedit Joannes Evangelista, quum referens, quale milites non confregerunt crura Christi, quando aliorum latronum, qui cum illo fuerant crucifixi, crura fregerunt, ait: (Joan. 19.) Facta sunt autem hæc, ut scriptura impletur. (Exod. 12.) Os non comminuetur ex eo. Quæ verba ita, ut à Joanne citata sunt, habentur in Exodo, ubi de ritu secundum quem agnus paschalis erat comedendus, disseritur. Cum ergo constet Christum in agno paschali fuisse figuratum (Esai. 53.) oportet ut quod olim actum est cum agno illo typico in figura, idem agatur nunc in veritate cum agno vero, qui tollit peccata mundi: Agnus quippe dicitur Christus propter patientiam & mansuetudinem: (1. Petr. 2.) quia sicut agnus coram tondente se obmutuit, & quum malediceretur non maledicebat, & quum pateretur, non communicabatur. Sicut sanguine paschalis agni perijt omne primogenitum Aegypti (Exod. 12.) ita sanguine Christi perijt omne peccatum, quod est primogenitum dæmonis. Sicut sanguine illius agni liberati sunt Israelitæ ab exterminatore, ita sanguine Christi liberamur à dæmone, & à morte æterna, quam nobis ille inferre conatur. Comestio illius agni figurabat manducationem corporis Christi, quod hodie in lege Evangelica, Christi fideles Eucharistiæ sacramentum sumentes, manducant. Quæ autem in manducatione agni paschalis fieri lex mandavit, figura sunt eorum quæ fideles Christiani facere tenentur, quando sanctissimum Eucharistiæ sacramentum sumunt. Quæ omnia abunde satis declarat Gregorius homilia 22. ex iis quæ scripsit super Evangelio: nec minus exacte illa interpretatur Rupertus Abbas in commentariis super Exodum. Quid sit sanguis agni, inquit Gregorius, non jam audiendum, sed bibendum discimus. Qui sanguis super utrumque possem ponitur, quando non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur. In utroque etenim posse sanguis agni est positus, quando sacramentum passionis illius cum ore ad redemptionem sumitur, ad imitationem quoque in tenta mente cogitatur. Nam qui sic redemptoris sui sanguinem accipit, ut imitari passionem illius necdum ve-

lit, in uno posse sanguinem posuit, qui etiam in superliminaribus domorum ponendus erat. Et aliquibus interpositis subdit. In nocte quippe agnum comedimus, quia in sacramento modo Dominicum corpus accipimus, quando adhuc adinvicem nostras conscientias non videmus. Quæ tamen carnes agni assandæ sunt, quia nimirum dissolvit ignis carnes, quas aqua coxerit, quas vere ignis sine aqua excoquit, quæ aborat. Carnes itaque agni nostri excoxit, quia eam ipsa vis passionis illius ad resurrectionem valentorem reddidit, atque ad incorruptionem roboravit. Quam enim ex morte convalluit, profecto carnes illius ab igne duraverunt. Unde etiam per Psalmistam dicit: Exaruit velut testa virtus mea. Quid namque est testa ante ignem nisi molle lutum? sed ei ex igne agitur, ut solidetur. Virtus ergo humanitatis ejus velut testa exaruit, quia ab igne passionis, ad virtutem incorruptionis crevit. Sed sola Redemptoris nostri præcepta sacramenta ad veram solemnitatem mentis non sufficiunt, nisi eis quoque & bona opera jungantur. Quid enim prodest corpus & sanguinem illius ore percipere, & ei perveris moribus contrariare? Unde bene adhuc ad comedendum subdit, & azimos panes cum lactucis agrestibus. Panes quippe sine fermento comedit, qui recta opera sine corruptione, ne vanæ gloriæ exercet, qui mandata misericordiarum sine admixtione peccati exhibet, ne perverse diripiat, quod quasi recte dispensat. Hoc quoque peccati fermentum bonæ suæ actioni miscuerant, quibus Propheta vocem increpationem Dominus dicebat: (Amos 4.) Venite ad Bethel & impie agite. Atque post pauca, & sacrificare de fermento laudem. De fermento namque laudem immolat, qui Deo sacrificium de rapina parat. Lactuce vero agrestes valde amare sunt. Carnes ergo agni cum lactucis agrestibus sunt edendæ, ut cum corpore Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in stertibus assiligimus, quatenus ipsa amaritudo prænitentia abstergat à mentis stomacho, perverse humorem vitæ. Hæc Gregorius. Aliqui sunt adhuc in ipsa figura agni paschalis annotanda, quæ cum Gregorius prætermiserit, ea Rupertus Tuicensis optime declarat, si inquiramus: Primum, ipsum quo immolatur agnus sacrificium, mystice illa plenitudo temporis est: de qua dicit Apostolus: (Galat. 4.) At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus. In plenitudine namque temporis, quando multis jam impletus erat electorum numerus apud infernalem Aegyptum, redemptionem suam expectantium, tunc venit filius Dei, tunc venit agnus Dei tollere peccata mundi. Quid illud, quod non ante sed post verum immolatur equinoctium? Nempe ab equinoctio verno superare incipit dies noctem: nam ante illud tempus prolixiores tenebras, breviorisque habemus lucem. Ergo & in hoc mysterium est: quia videlicet ab immolatione agni incontaminati & immaculati Christi, coepit lux justitiæ peccatorum tenebras superare. Nam antea longa & profunda peccatorum nox, brevis autem & subtilis legatis justitiæ lux erat. Sed & ipsa mensis Nilam, id est, Aprilis, verna temperies, quum tellus, resorefcit, totaque post hyemem quasi post ænium, rursum juvenescit orbis, nonne sensatum hominem docet, quatenus renovatus spiritus mentis suæ, fide viridis, spe lætus, & charitate floridus, paschalis agni epulis interit spiritualibus? Hæc Rupertus, qui etiam omnes

fere temporis circumstantias diligenter annotare voluit, unam tamen non contemnendam, quæ est de vespera diei in qua immolabatur & comedebatur agnus, omisit, sed hanc annotavit & optime declaravit Cyprianus epistola tertia libri secundi, quæ est ad Ceciliam, sic dicens: Christum offerre oportebat circa vesperam diei, ut hora ipsa sacrificii offenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo cap. 12. scriptum est. Et occidit illum omne vulgus synagoga filiorum Israel ad vesperam. Et iterum in Psalmo 140. Elevatio manuum mearum sacrificium vesperinum. Hæc Cyprianus. Est adhuc unum aliud positissimum annotandum in ipso ritu agni paschalis, quod maxime suffragatur nostræ & Catholicæ sententiæ de sacrificio Missæ. Nam agnum illum paschalem lex jubebat immolari antequam comederetur. Verba legis sunt hæc: (Exod. 12.) Immolavit universa multitudo filiorum Israel ad vesperam, & sument de sanguine ejus, ac ponent super utrumque possem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum, & edent carnes nocte illa assas igne, & azimos panes cum lactucis agrestibus, & paucis interpositis subdit, Cum dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio? dicetis eis. Victimam transiit Domini est. Hæc immolatio agni paschalis est figura fugit immolationis, qua Christus in ara crucis se Deo patri pro nobis immolavit: multo tamen expressior fuit figura immolationis quæ fit in Missa, quando Sacerdos post consecrationem Eucharistiæ, nomine suo & totius Ecclesiæ offert illum Deo, sic dicens: Offerimus præclaræ majestati tuæ de tuis donis ac datis hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem sanctum vitæ æternæ, calicem salutis perpetuæ. Nam immolatio in cruce facta non fuit ante agni paschalis comestionem, sed post illam. At immolatio illa quæ fit à Sacerdote in Missa, semper præcedit comestionem corporis, & potum sanguinis Christi, quia prius Sacerdos consecrat & offert Deo corpus & sanguinem Christi, & semper postea ipse comedit & bibit, & aliquando aliis præbet ad manducandum. Quod si ante talem oblationem Sacerdos aut manducaret, aut aliis ad manducandum daret, absque ulla dubitatione peccaret: quia tolleretur sacrificii rationem, & sic faceret ut veritas non perdesse responderet figuræ. Eadem ratione etiam peccaret, qui offerret Eucharistiam, & illam non manducaret, aut non biberet: quemadmodum olim peccasset Judæus, qui post immolatum agnum paschalem, illum comederit. Ideo Concilium Toletanum duodecimum, cap. 30. suorum decretorum, merito sequentem protulit de hac re definitionem. Relatum nobis est quosdam de Sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere, quos sacrificia in una die videntur offerre: sed in uno die si plurima per se Deo offerant sacrificia, in omnibus se oblationibus à communione suspendunt, & in sola tantum extrema sacrificii oblatione, communionis sanctæ gratiam sumunt. Cum dicat Apostolus: (1. Cor. 9.) Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Certum est, quod si qui sacrificantes non edunt, rei sunt Domini sacramenti. Quicumque ergo Sacerdotum deinceps divino altari sacrificium oblaturus accesserit, & se à communione suspendent, ab ipsa qua se indeceteri privavit, gratia communionis anno unum repulsum se noverit: Hæc Concilium Toletanum. Sed post hoc non modica oriri dubitatio de Sacerdote, qui ante manducationem, aut oblationem moreretur, an impetraret gratiam per solam consecrationem. Quam questionem à nemine hactenus motam esse scio, neque illam ego nunc movi, ut post exactam discussionem,

definitivam circa illam darent sententiam, sed ut aliis occasionem disputationis darent. Mallem enim in hac parte aliorum Catholicorum audire sententiam, quam prodere meam. Ne tamen illam omnino intactam relinquam, dicam quod sentio, paratus tamen contradictori credere si mihi rationem urgentem ostenderit, quæ merito à sententia mea discedere me cogat. Duplicem habet Eucharistia considerationem, videlicet secundum rationem sacrificii, & secundum rationem sacramenti: quia illa secundum Catholicam fidem, & sacramentum est, & sacrificium. Si solum consideretur Eucharistia quatenus est sacrificium, videtur mihi Sacerdotem illum nullam gratiam hac ratione consecutum esse, ex opere, ut dici solet, operato: quia Sacerdos ille neque manducavit Eucharistiam, nec obtulit illam. At sola consecratio sine oblatione & manducatione, sacrificium dici non debet. Si vero consideremus Eucharistiam, quatenus est sacramentum, neque secundum hanc rationem, ut mihi tunc videtur, Sacerdos ille ex opere operato consecutus est gratiam, quia licet consecit Eucharistiam, non tamen suscepit. At commutatione est omnibus sacramentis, ut non nisi suscipiente conferant gratiam. Non enim dixit Christus, Qui crediderit & baptizaverit, salvus erit: sed tantum dixit: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit. (Mat. ult.) Nam est Eucharistia sacramentum hoc habet peculiare, quod substantia illius potest esse sine susceptione illius, quod nulli alii sacramento convenit: tamen hoc non est peculiare illi, ut non suscipiente illud possit gratiam aliquam conferre. Hæc per occasionem dixi, præter instituti mei rationem: decreveram enim in hoc opere solum fidem Catholicam, & non hominum placita asserere.

Absoluta argumentatione ex duabus præcipuis veteris testamenti figuris, nunc ex aliis duabus prophetiis ejusdem testamenti contra prædictam hæresim argumentabor. In Daniele Propheta cap. 12. ubi agitur de adventu Antichristi, hæc habentur. *In tempore autem illo consurget Michael Princeps magnus qui stat pro filiis populi tui, & veniet tempus quale non fuit, ab eo ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud, & in tempore illo salvabitur populus tuus omnis qui inventus fuerit scriptus in libro. Et multi de iis qui dormiunt in terra pulvere, evigilabunt, alii in vitam æternam, alii in opprobrium, ut videant semper.* Hæc in Daniele. Quæ verba cum Daniel audisset ab Angelo Gabriele, qui apparuerat illi, dixit interrogando ipsum Gabrielem: Usquequo finis horum mirabilium? Cui respondit Gabriel & jurans per viventem in æternum, dixit duraturam esse tribulationem illam per tempus & tempora & dimidium temporis, hoc est, per tres annos & dimidium. Et postea declarans à quo tempore debeant computari ista tres anni cum dimidio, ait: Et à tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium, & postea fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Ecce historiam totam, quam sic integram citare oportuit, quia ex verbis illius, nostræ argumentationis robur clarius patebit. Ex quibus omnibus verbis id potissimum annotare oportet, quod in sine dictum est: A tempore quum ablatum fuerit iuge sacrificium, & postea fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. In quibus verbis Missæ celebratio aperte, ut statim Deo duce ostendemus, dicitur sacrificium. Nam per illa verba, Gabriel Angelus docuit Danielem Prophetam, cessaturam tempore Antichristi Missæ celebrationem. Quia mali Sacerdotes timore persecutionis Antichristi, petentur non audebunt publice Mis-

as celebrare. Boni vero Sacerdotes, etsi non timore perterriti, dimittent tamen per tres annos & dimidium, ne tam excellens sacramentum habeatur in contemptum, & indigne & irreverenter tractetur. Et tunc abominatio ponetur in desolationem: quia Antichristus ipse sedebit in templo, ut ab hominibus adoretur. Ut autem nostra argumentatio majores vires habeat, oportebit offendere nullum aliud esse sacrificium, de quo prædicta prophetia verba possint intelligi, nisi Missam. Quo probato, inde aperte convinceretur Missam esse sacrificium. Ad hoc autem apertius faciendum, oportet hoc primum jacere fundamentum, quod prophetia illa non loquitur de iuge sacrificio legis Mosaicæ, quod cessare debebat tempore Messie: quia de illo jam antea fuerat locutus capite nono.

Quæ autem illic dicuntur de illa cessatione sacrificii, contraria sunt his quæ nunc citata sunt ex capite duodecimo ejusdem Danielis. Nam quæ illic dicuntur, hæc sunt. *Confermabit autem pactum multis hebdomada una & in medio hebdomadis deficiet hostia & sacrificium, & in templo erit abominatio desolationis, & usque ad consummationem & finem perseverabit desolatio.* In quibus verbis aperte docet, cessationem illam Judæici sacrificii fore perpetuam. At ista de qua nunc inquirimus, ut ipsam prophetiam referat, non erit perpetua: sed per dies mille ducentos nonaginta, hoc est per tres annos cum dimidio. Neque est ista prophetia intelligenda, prout delirans Porphyrius dixit, de persecutione facta ab Antiocho Epiphane rege Syriæ, quo tempore cessavit in Judæa sacrificium Mosaicum. Nam propter hanc interpretationem acriter reprehendit Porphyrium Hieronymus in commentariis super Danielem, & post Hieronymum Nicolaus Lyranus. Et merito reprehenditur in hac parte Porphyrius: quia illa sacrificii cessatio, quæ sub Antiocho fuit, quocumque modo computetur, ut bene convincit Lyra, excessit quatuor annos. At istam, de qua modo disputamus, Gabriel prædixit non esse duraturam ultra tres annos cum dimidio: non est ergo impleta hæc prophetia in persecutione sub Antiocho facta. Præterea, de tempore illo prædixit Angelus, quod veniet tempus quale non fuit, ex quo gentes esse cœperunt usque ad tempus illud. At tribulatio sub Antiocho non fuit major omnibus præcedentibus: quia illa quæ intulit Nabuchodonosor fuit multo major. Nam destruxit templum, & muros civitatis, duxitque regem & majores omnes illius populi captivos, neque ex inferiori plebe aliquos dimisit, nisi pauculos quosdam pauperes, qui agros colerent. Nihil autem horum fecit Antiochus: superest ergo ut prophetia illa intelligatur complenda tempore Antichristi, prout omnes Doctores Catholici intelligendam esse censuerunt. Nam Hieronymus constantissime affirmat, non posse de alio tempore intelligi. Idem sentit Rupertus Tuitensis. Eodem modo interpretatur Nicolaus Lyranus. His omnibus consentit glossa, quam vocant interlinearem, quæ declarat hæc verba illa: *Veniet tempus, quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud,* super hæc ultima verba tempus illud, dicit, Antichristi. Et certe, ut ego cenfeo, non est opus pro hac re citare Doctores, cum Christus ipse veritatis magister id apertissime doceat apud Matthæum cap. 24. ubi citat hunc Danielis locum, dicens: *Cum audieritis abominationem desolationis, qua dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Quod autem Christus de ista, quæ scribitur Danielis 12. loquatur, & non de alia, quæ scribitur Danie-

lis nono, prout aliqui male advenientes docent, aperte convincitur ex aliis verbis, quæ Christus Salvator noster illic dixit, quæ omnino conveniunt cum illis quæ dicta sunt Danielis duodecimo. Nam in illo capitulo hæc dicit Daniel: *Veniet tempus quale non fuit ab eo ex quo gentes esse cœperunt, usque ad tempus illud.* Et Christus de tempore Antichristi apud Matthæum loquens, ait: *Erit enim tunc tribulatio magna qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque postea fiet.* Quæ verba, ut manifeste constat, de nullo alio tempore intelligi possunt, nisi de tempore Antichristi. Deinde, Christus dicit, dies illius magnæ tribulationis esse brevianos propter electos, & his verbis respondent verba Danielis in prædicta visione, quibus dicit, tribulationem illam duraturam per dies mille ducentos nonaginta. Constat ergo ex his omnibus prophetiam illam Danielis, quam citavimus ex capite duodecimo, esse complendam tempore Antichristi. Superest igitur inquirere, quod sit illud iuge sacrificium, quod tempore illo cessaturum est per tres annos cum dimidio. Non est quidem aliud iuge sacrificium corporale simile illis, quæ olim fuerunt in lege Mosaicæ: quia nullum tale est iuge sacrificium in lege Evangelica. Non est sacrificium illud oratio, & laus divina, de qua Propheta Regius ait: (Psal. 49.) *Immola Deo sacrificium laudis.* Neque sacrificium illud est carnis afflictio per jejunia, & flagella, peregrinationes, vigiliæ, & alios similes corporis labores, de quibus Paulus ait: (Rom. 13.) *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem.* Sed neque est sacrificium illud contritio peccatorum, aut quævis alia lachryma propter Deum effusa, de qua inquit Propheta: (Psal. 50.) *Sacrificium Deo spiritus contribulatus.* De nullo istorum sacrificiorum, nec de quovis alio simili intelligi potest, quod Danieli Gabriel Angelus dixit, cessaturum tempore Antichristi iuge sacrificium. Quia licet tunc abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum, non tamen charitas omnium. Licet multi sequantur Antichristum, & non tamen omnes, immo multi amore Christi accensi viriliter resistunt illi, & ob hanc causam occidentur ab illo, ut prædixit Gabriel Angelus in verbis, quæ locutus est Daniel, sic dicens: *Eligetur, & dealbabitur, & quasi ignis probabuntur multi.* Super quibus verbis glossa interlinearis dicit, multos fideles probandos quasi aurum in fornace. Nam alias oporteret dicere, totam Ecclesiam, quæ Christi est sponsa, tempore illo perituram, si non essent futuri tunc aliqui iusti, qui illam sustentarent. Quamlibet enim malicia abundet, & peccatores augeantur numero, semper Deus custodit, & relinquit sibi aliqua milia virorum, qui nolint curvare genua sua ante Baal. Illi ergo iusti, qui tunc erunt tempore Antichristi, videntes Antichristi persecutionem, serventur. Deum orabunt pro auxilio: & cum majori devotione Deum laudabunt, propterea, quod illos servavit, ne in tantum scelus laberentur, ut Antichristum colerent. Recordati tunc præterea, quibus forte olim Deum offenderant, acerbius ingemiscunt pro illis: & timentes de morte Deum illorum peccatis exasperatis talem induerit tribulationem, corpora sua attingunt, ut vel sic Deum itatum placare possint, prout olim Viri Ninivite fecerunt. (Joan. 3.) Et hoc etiam expressit Gabriel Angelus, sic Danieli dicens: *Et impie agens impiè, neque intelligens omnes impiè.* Ubi glossa interlinearis ait, Non intelligit ad probationem sanctorum hæc fieri. Et postea subdit Angelus: *Porro dicit in obsequio.* Super quæ verba glossa interlinearis ait, Iusti, &

electi, docti disciplina Dei, intelligent hæc, & libenter sustinebunt. Ex quibus apertissime convincitur, quod huiusmodi spirituales sacrificia, quæ supra recensuimus, licet à multis deserantur tempore Antichristi, non tamen profus cessabunt. Regnante Achab, pessimo Rege, quando tanta erat malitiæ abundantia, & tanta molitudo horum multitudum, ut Helias putaret se solum esse, qui Deum coleret, dixit Deus eidem Helia, (3. Reg. 19.) *Se reliquisse sibi septem millia virorum, qui non curaverant genua sua ante Baal.* Cum igitur major sit gloria Ecclesiæ, quam synagoga, & Deus majorem curam nunc de Ecclesia sua habeat, quam olim de synagoga, cogimur credere, ut Deus tempore Antichristi, non sit cogit adeo deserturus Ecclesiam suam, quin servet sibi in ea plures quam septem millia virorum, qui non curvent genua sua coram Antichristo. Si de nullo istorum sacrificiorum intelligi potest id, quod Gabriel Angelus dixit Danieli, cessaturum iuge sacrificium tempore Antichristi, convincitur inde, esse necessario intelligendum de Missa, quæ quia omni die in honorem Dei celebratur, & in ea verum Christi corpus, & verus sanguis ejus, quotidie Deo offertur, vocatur iuge sacrificium. Et hoc cessabit tempore Antichristi: quia licet tunc Missa aliqua, ut credi par est, celebretur, non tamen ita frequenter, neque tam publice ut ante: & hoc non tam propter metum Antichristi, quam ne tam excellens sacrificium veniat in contemptum, & irrisum majorem. Facient quidem juxta præceptum Salvatoris dicentes: (Matth. 7.) *Nolite sanctum dare canibus, & nolite mittre margaritas ante porcos.* Hoc ergo sacrificium per quod Deus maxime colitur, Antichristus profus tollere nitetur, ut ipse loco Dei colatur, & adoretur. Nam ad omnem verum Deum cultum profus tollendum, nullam meliorem viam invenire poterit Antichristus, quam tollere sacrificium Missæ. Quoniam ut ait Rupertus in libro de glorificatione filii hominis, sublato sacrificio Missæ statim peribit devotio. Et inde convincitur, Lutherum, & omnes qui illum in hac parte imitantur esse præcursores Antichristi, & illius ministri: quia nituntur ab Ecclesia tollere Missæ sacrificium, prout facturus est postea Antichristus illorum magister. Est altera prophetia Malachia Propheta, quæ etiam aperte convincit Missam esse sacrificium. Nam Malachias, quomodo Deus sit abrogaturus sacrificia legis veteris, & loco istorum aliud se subrogaturus, hæc ait: (cap. 1.) *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum, & manus non suscipiam de manu vestra. Abominem vobis sacrificia vestra, quia in omni loco sacrificatur, & offertur nominis mei oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus. Recedite a pedibus vestris sacrificia veteris legis, cum ait: Manus non suscipiam de manu vestra.* Et ne omnino sine sacrificio videretur populum relinquere, statim aperit aliud sacrificium loco illius subrogatum multo melius, eum dicit: *In omni loco sacrificatur, & offertur nominis mei oblatio munda.* Ad nulla alia est oblatio, quæ simpliciter, & absolute dici possit munda, nisi Eucharistia quæ in Missa offertur: quoniam ut ait Propeta quidam, (Ez. 26.) *omnes sacrificia vestra quasi panis mestrucati sunt sicut doram Deo.* Et aliqua est oblatio quæ munda dicatur, illa non est à se munda coram Deo, sed ex munditia, & obbitate ipsas offerentis. Repexit Deus (inquit scriptura) (Genes. 4.) ad Abel, & ad mundana vasa. Ad Abel primo, deinde ad mortuos, & idem respexit ad munnera, quia respexit ad perfectionem. Oblatio autem illa de qua Propeta Malachias loquitur absolute dicitur munda,